



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. In quibus causis habeat locum reconventio, vel non habeat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Iudex, siue sit delegatus, si ad petitionem actoris, quod plerumque fit, hic impetratus fuit, ob rationem supra allatam, quæ cum non urgeat, casu quo ex utriusque partis consensu, vel ex solo Principis v.g. arbitrio datus est Iudex delegatus, hinc coram tali Delegate reconveniri non potest actor, nisi in rescripto delegationis expressè etiam concessa fuisset reconventio. Simili modo coram Iudice prorogato, quem elegit contra reum actor, reconveniri hic à reo poterit, modò causa, circa quam fit reconventio, non excedat Iudicis prorogati limites, vel fiat tantum reconventio ratione majoris summæ, de qua aliàs Iudex prorogatus iudicare quidem non potest, cum possit tamen de minore summa.

## §. III.

*An Laicus conventus à Clerico coram Iudice seculari, vicissim reconvenire possit Clericum coram eodem Iudice?*

Quòd in causa spirituali, aut annexa reconveniri non possit Clericus coram seculari Iudice, coram quo Laicum convenit, neque in causa criminali, siue criminaliter siue civiliter hæc tractetur, certissimi juris est, cum Iudex secularis de talibus causis nec incidenter cognoscere possit *c. Tuam 3. De ord. cognit. & c. At si Clerici. 4. De Iudic.* In causa Civili verò & merè temporali, quòd Clericus coram Iudice seculari reconveniri non possit, de iure quidem communi verius est, prout videre est in pluribus textibus *causa 11. q. 1.* & absolutè Clerici nec volentes, nec inviti, etiam in causa Civili seculari Iudici cum præiudicio fori

privilegii se subicere possint *c. Si diliges 12. De foro competen.* recepta tamen in pluribus locis praxis, quòd in causa mota Civili Clerici coram Iudice seculari reconveniantur, damnari non debet, cum dici possit, tacitum intervenire consensum Pontificis in hac consuetudine plurimorum Regnorum immemoriali, &c.

## §. IV.

*In quibus causis habeat locum reconventio, vel non habeat?*

In genere loquendo, & regulariter in omnibus causis reconventio locum habet, nisi expressè reperiat prohibita, modò iudex cognoscere causam illam reconventionis possit. Prohibetur autem expressè reconventio in causis criminalibus, ut docet *Glossa communiter recepta in c. 2. V. super suis h. r.* siue super patris, siue super minore crimine fiat reconventio, cum crimina non objectione aut relatione criminum, sed innocentia sua reus purgare debeat, nisi iudex utriusque partis ordinarius iudex esset, qui extra reconventionem utrumq; punire potest, aut conventus reus majus aliquod actori crimine objiciat, vel suam aut suorum injuriam persequatur, vel de crimine tantum conventus civiliter actorem etiam de crimine civiliter, reconveniat, coram iudice utriusque competente. Et quamvis criminaliter conventus, pendente eodem iudicio actorem in causa civili reconvenire non possit, ne videantur delicta manere impunita, si ad civilem talem actionem distrahi possent, potest tamen reus conventus civiliter, pendente iudicio civili, actorem reconvenire criminaliter, cum ratio allata hæc non urgeat. Secundò in causa

Causis appellationum non datur reconventioni locus, ubi iudex ab actore non spontè eligitur, sed necessariò ob gravamen seu injuriam sibi factam aditur. Tertio spoliatus agens iudicio possessorio non potest reconveniri à Reo iudicio petitorio. Quarto non admittitur reconventio in causis executionis, quæ paratam habere debent executionem in bonis debitoris. Quintò locum non habet reconventio, si impleatur officium iudicis extrajudicialiter. Vide plura de his & aliis similibus alibi, vel apud Civilistas.

## §. V.

Quando proponi debeat reconventio, & quomodo in illa procedendum?

Proponi debet reconventio in exordio litis statim, ante litis contestationem, vel statim post illam, antequam ulterius progrediatur, uti habetur in *Amben. De executoribus cap. 2. §. Sancimus 1. collat. 7. junctà Gloss. V. mox.* Et quamvis de jure Canonico reconventio fieri possit etiam in progressu litis, usque ad sententiam definitivam, uti patet ex *c. Dispensia. 3. §. Reus quoque. De rescript. in 6.* non tamen fieri potest in progressu litis cum eo privilegio, ut pari modo causæ conventionis, & reconventionis tractentur, sed unà expedità ad alteram transitu fieri debet; in aliis enim casibus, si debito tempore & modo reconventio apud eundem iudicem, etiam delegatum interposita fuit, potest compellere iudex reconventum actorem

ad respondendum reconventioni, ut simul utraq; causa, tam conventionis, quàm reconventionis expediatur. *c. Ex literis 1. h. t.* (nisi priùs de causa una liqueat, aut reconveniens ultrò cedat favori suo, aut omnino deserat reconventionem) ita tamen, ut semper præcedentiam habeat conventionis cause, juxta illud, qui prior appellat, prior agit, *l. Qui appellat. 29. junctà Gloss. V. Qui appellat. ff. De iudic.*

Modus autem procedendi, qui observatur in causa conventionis, (præsertim vi rescripti alicujus impetrati) observari etiam debet in causa reconventionis, prout sumitur ex *c. Prudentiam. 2. h. t.* actoris enim & rei, ut ait Pontifex, in tali casu eadem est conditio, & jure eodem utique censeri debet, & hinc clausula posita in rescripto conventionis, ut procedatur v. g. appellatione remotà observari etiam debet in causa reconventionis, (etsi de hoc in rescripto delegationis nulla facta sit expressa mentio) & quidem non solum si ad instantiam actoris rescriptum impetratum est, ut vult *Gloss. fin. in c. 2. h. t.* sed etiam, si motu proprio in causa conventionis emanavit, ob eandem scilicet in utroque casu rationem; & si Reus vi rescripti impetrati ab actore tractus fuit ultra duas dioceses extra Diocësin, & ibi conventus, potest eodem favore fruens, ibidem reconvenire actorem: & si nolit actor respondere ad libellum reconventionis, nec tenebitur reus respondere ad libellum conventionis, & c.